

Wigand,
De monstribus novis in doctrina
de peccato.

J 4
39/94









DE

MONSTRIS NO.

VIS ET FOECUNDIS IN DO-

CTRINA DE PEC-

CATO.

COMMONEFACTIO.

D. IOHANNIS VVI-

GANDI.

1893/48-2829

*Ex falsa propositione cui
deduci. Flacii Illyrici
ginali in disputandi fer:
est. Quam ob causam
cipitatio per amica
potriset. Verum enim
destini et apertis inter
cipitur et ob magnos
yantiam Flacii pro
se ferat: diu noctu
praeipitare cogita:*



*Delusionum millia pro sunt
Sententia de peccato ori:
voce in mediū prolata
hac mentis Flacii pro:
bile colloquium mutari
vero Flacii hister clan:
yvo wigandur fuit pra:
spiritus, magnam arro:
fundam eruditionem pro:
eundem in perniciem
bant.*

IEENAE, Impressum per Donatum Ritzenhain,

4 ff. Anno 1571.

Nr. 347.

d i iii



Pio Lectori S.

Lutherus saepe conqueritur, quod praestigiatore^s, sua etiam scri-
pta, contra suam ipsius sententiam, ad fucanda ipsorum delira-
menta, soleant adducere, ac monet, ne illis falsatoribus habea-
tur fides. Id verò mihi & alijs quibusdam etiam nunc accidere com-
perio, quod quidam novi dogmatis authores & pictores, ex meis a-
liorumq; libris conentur suorum errorum tegumenta quaerere,
qui quidem aliquot annos Deo Duce, contra hac Monstra
dimicauimus. Hanc illiberalem imò impiam ca-
lumniam, neq; Deus, neq; ulli pij pro-
babunt. Bene vale.

Vigandus.

A. d. Bibliothek
des Thüring.-Sächs.
Geschichtsvereins.



est falsum, Flavius Iulianus
non fuit praestigiator



D E
MONSTRIS NOVIS ET
F O E C V N D I S.

I.

PECCATVM EST SVBSTANTIA.

Ergo



Mnia peccata sunt substantiæ. Ratio, Quia propositio est indefinita & indistincta. Notum autem est, Indefinitam æquipollere vniuersali.

Ergo

Peccata externa, vt homicidia, furta, adulteria, mendacia, & similia, meræ sunt substantiæ. Ratio est, quia peccatum est substantia. Quot igitur enascentur substantiæ?

Ergo

Peccata interna, malæ cogitationes & MOTVS prauus, sunt meræ substantiæ. Ratio est, Quia peccatum est substantia. Sed motus mali sunt peccata.

Ergo

Reliquas consequentias monstrosas monstrosi pronuntiati, in reliquis propositionibus annotabimus.

II.

PECCATVM ORIGINIS EST SVBSTANTIA.

Ergo

Peccatū originis est corpus & anima. Ratio est, Quia substantia hominis, de qua prædicatum sonat, constat ijs partibus.

Ergo

Peccatum originis est persona. Ratio est, Nam unio corporis & animæ, est persona. Corpus autem & animam, ipsam hominis esse substantiam, nemo sanus inficiatur.

Ergo

Peccatum originis est homo. Ratio est, Quia peccatum originis est substantia. Substantia autem illa constat

A 2

corpo-

*N. factū fuit in ser-
uore disputandi non in
scriptis publicis*

Ergo

*cogitandum est
lingua præcurrit
mentem*

et

per confessionem

*sunt falsæ con-
clusiones.*

corpore & anima, & quidem vnione personali. Cui enim conuenit definitio, ei conuenit & definitum.

Ergo

Peccatum originis est Animal rationale. Ratio est, Quia hæc competunt homini, id est illi substantiæ. Hoc enim prædicatum supra tributum est subiecto.

Ergo

Peccatum originis comedit, bibit, dormit, vigilat. Ratio, quia est substantia, & hoc pronunciatum hoc loco ad hominem dirigitur.

Ergo

Peccatum originis est à Deo creatum. Ratio est, Quia vniuersalis & immota regula est, Omnis substantia est creata à Deo.

Ergo

Peccatum originis fuit ante lapsum hominis. Ratio est, Quia omnes specierum substantiæ, sunt ante lapsum conditæ.

Ergo

Peccatum originis fuit ante peccatum. Ratio est, Quia peccatum in Sacris literis, post creationem rerum Genes. 3. describitur.

Ergo

Peccatum originis fuit bonum ante lapsum. Ratio est, Quia Moses inquit, Vidit DEVS omnia. quæ fecerat, & ecce erant valde bona.

Ergo

Peccatum originis à Deo conseruatur & propagatur. Ratio est, Quia substantia propagatur. Sed peccatum est substantia, vt habet propositio.

Ergo

Peccatum originis renascitur. Ratio est, Quia substantia, seu homo renascitur.

Ergo

Peccatum originis est membrum in Christo. Ratio est, Quia

Quia renata substantia est membrum Christi.

Ergo

Peccatum originis est templum Spiritus sancti. Ratio est, Quia renata substantia est hospicium Spiritus sancti.

III.

PECCATUM ORIGINIS EST IPSA ANIMA.

Ergo

Peccatum originis tantum est pars hominis. Ratio est, Quia Anima non est tota substantia hominis, non est totus homo.

Ergo

Peccatum originis est Spiritus. Ratio est, Quia anima est Spiritus.

Ergo

Peccatum originis est spiritualis substantia. Ratio, quia hoc est genus Animæ.

Ergo

Peccatum originis intelligit. Ratio est, Quia hoc est proprium Animæ.

Ergo

Peccatum originis habet multa bona saltem naturaliter & ciuilitate. Nam ratio, & quædam alia in anima, certè saltem naturaliter & ciuilitate sunt bona.

Ergo

Peccatum originis est immortale. Ratio est, Quia mater istorum foetuum inquit, Peccatum originis esse ipsam Animam, quæ certè immortalis est.

Ergo

Peccatum originis uiuit extincto corpore. Ratio est, Quia peccatum originis ipsa Anima est, cuius proprium est, superstitem manere post separationem à corpore.

Ergo

Peccatum originis est creatum à Deo. Ratio est, quia Anima est creata à Deo.

A 3.

Ergo

Ergo
Peccatum originis est inspiratum à Deo. Ratio est, quia
peccatum originis est ipsa anima.

IIII.

PECCATVM ORIGINIS EST IPSVM COR.

Ergo
Peccatum originis est tantum pars hominis, non totus
homo. Ratio, Quia cor non est totus homo. Et sic poste-
riores foetus necant primam matrem, quæ indefinitè pro-
nunciat, peccatum originis esse substantiam.

Ergo
Peccatum originis est caro & sanguis. Ratio est, Quia
cordis substantia est carnea & sanguinea.

Ergo
Peccatum originis est fons sanguinis. Ratio est, Quia
cor est officina sanguinis. Sed peccatum originis est ipsum
cor, vt habet propositio.

Ergo
Peccatum originis est scaturigo Spirituum vitalium.
Ratio est, Quia est ipsum cor.

Ergo
Peccatum originis est sedes affectuum, tum bonorum
tum malorum. Ratio est, Quia cor, quod propositio illa in-
quit, esse peccatum originis, affectus gignit tum bonos tum
malos.

Ergo
Peccatum originis est conditum à Deo. Ratio est, quia
ipsum cor est à Deo conditum.

Ergo
Peccatum originis fuit ante peccatum seu lapsum homi-
nis. Ratio est, Quia peccatum originis est cor ipsum. Sed cor
fuit ante peccatum.

Ergo
Peccatum originis est bonum. Ratio est, Quia cor ante
lapsum predicatur bonum. Vidit enim omnia Deus, quæ fe-
cerat,

cerat, & ecce erant valde bona. Inter hæc bona, etiam cor hu-
manum fuit.

Ergo

Peccatum originis debet diligere Deum. Ratio est, quia
ex toto corde diligendus est Deus. Sed peccatum originis
est cor ipsum, vt ait superior propositio. Ergo ex toto pecca-
to originis diligendus est Deus. Nam Dei præceptum ad-
huc valet, neq; desinit.

Ergo

Peccatum originis reuiuiscet ac resurget in nouissimo
die. Ratio est, Quia substantia, anima, cor, esse perhibetur.
Sed ista resurgent.

Ergo

Peccatum originis erit in glorificatis. Ratio est, Quia
substantia, anima, & cor erunt in glorificatis in æternum.
Sed peccatum originis est substantia, est anima, est cor.

V.

*PECCATVM ORIGINIS EST NOVA SVBSTAN-
TIA HOMINIS, PRIORI DELETA.*

Ergo

Peccatum originis Animam & corpus deleuit penitus.
Ratio est, Quia, vt propositio inquit, est prorsus noua
substantia.

Ergo

Peccatum originis deleuit Indiuidua Adæ & Eux. Ra-
tio est, Quia priores ipsorum substantias omninò sustulit.

Ergo

Peccatum originis creat nouam substantiam. Ratio est,
Quia hanc nouam substantiam, non esse à Deo, Coguntur
ipsimet fateri.

Ergo

Peccatum originis est creator & creatura. Ratio est, quia
hæc noua substantia est à peccato originis, & peccatum ori-
ginis est ipsa substantia.

Ergo

Peccat

Peccatum originis aliam animam, & aliud cor, quod ad substantiam ipsam, in Adam & Eua condidit. Ratio est, quia prior ipsorum substantia, vt asserunt, deleta est & perijt.

Ergo

Peccatum originis aliud corpus, aliaq; membra corporea eis dedit. Ratio est, Quia peccatum originis deleta prior substantia, nouam attribuit.

Ergo

Peccatum originis propagat & multiplicat homines, non Deus. Ratio est, Nam peccatum originis est substantia, & noua illa substantia est à peccato originis, vt habent priores propositiones.

Ergo

Peccatum originis est tertia pars substantialis nouæ substantiæ. Quia ista substantia, habet animam & corpus, & peccatum originis. Iam anima est substantialis pars. Corpus est substantialis pars. Peccatum originis est substantia.

Ergo

Peccatum originis personali vnione vnitur cum corpore & anima. Ratio est, Quia peccatum originis est substantia, vt inquit.

Ergo

Peccatum originis arguit mendaciū Mosen & Christum, qui asseuerant, corpus & animam personam hominis, seu vnionem personalem constituere. Gen. 2. Matth. 10.

V I.

PECCATVM ORIGINIS EST VETERIS INDIVIDVI FORMA ESSENTIALIS.

Nolumus autem repetere, breuitatis gratia, quales inde ngignantur foetus, quia supra recitati sunt, iam igitur attende, quomodo iste foetus rodatur & necet suas matres superiores?

Ergo

Peccatum originis non est substantia. Ratio est, Quia
corpus

corpus & anima, sunt hominis substantia, & partes substantiales, unionem hypostaticam constituentes.

Ergo

Peccatum originis non est ipsa anima, & ipsum cor, quod ad substantiam, sed quod ad formam pessimam.

Ergo

Peccatum originis accessit ad indiuiduum, non est ipsum indiuiduum, neque eius substantia, aut partes substantiales eius Indiuidui. Ratio est, Quia Indiuiduum & forma discernuntur. Sic scilicet hæc propositio sexta, priores propositiones strangulat.

VII.

*PECCATVM ORIGINIS EST PRÆCIPVA
PARS ANIMÆ, SED MALA.*

Hic quoque consequentias supra commemoratas, præterimus. Obserua autem, quomodo & hæc filia matres suas occidat.

Ergo

Peccatum originis non est ipsa Anima, vt tertia propositio garrijt. Ratio est, Quia differunt esse præcipuam animæ partem, Et, esse ipsam Animam.

Ergo

Peccatum originis non est substantia, vt secunda propositio ebuccinavit. Ratio est, quia pars Animæ, non est tota hominis substantia.

Ergo

Peccatum originis non est in toto homine, aut tota hominis substantia. Ratio est, Quia est præcipua pars animæ, vt affirmant.

VIII.

*PECCATVM ORIGINIS EST PRÆCIPVA
PARS CORDIS.*

ET hac in parte non adscribemus, quæ inde producantur monstra alia, Sed tantum vide, quomodo hic etiam foetus, suas arrodant matres, easque trucidet.

B

Ergo

Ergo
Peccatum originis non est ipsum cor, vt quarta propo-
sitiō dixit. Ratio est, Quia differunt esse cor ipsum, Et, esse
præcipuam cordis partem.

Ergo
Peccatum originis non est Anima, vt secunda propo-
sitiō dictauit. Ratio est, Quia præcipua pars cordis, & Ani-
ma ipsa, non sunt idem.

Ergo
Peccatum originis non est substantia, neq; totus homo.
Ratio est, Quia ista propositio inquit esse præcipuam cor-
dis partem.

IX.

*PECCATVM ORIGINIS, NON EST ACCIDENS
SEV ACCIDENTALIS CORRVPTIO, NEC
POTEST SEPARARI A SVBSTANTIA.*

Ergo
Peccatum originis est creatum à Deo. Ratio est, Quia
omnis substantia est à Deo condita. Vel:

Ergo
Peccatum originis facit Diabolum creatorem substan-
tiæ. Ratio est, Quia peccatum est substantia, vt secunda pro-
positio ait. Sed peccatum est à Diabolo. Iam redi ad præmis-
sam conclusionem.

Ergo
Peccatum originis fuit in Adam ante lapsum, nec fuit
vnq; sine peccato originis. Ratio est, Quia substantiam ha-
buit ante lapsum. Sed hic asseritur, peccatū esse substantiam.

Ergo
Peccatum originis propagat substantiam hominis. Ra-
tio est, Quia peccatum originis est substantia, non accidens.
Sed substantia mediatē propagat hominem.

Ergo
Peccatum originis in resurrectione & glorificatione,
nunq;

nuncq̄ poterit amoueri. Ratio est, Quia non est accidens, sed substantia, iam certum est, substantiam fore æternam.

Ergo

Peccatum originis NON intrauit in homines, iuxta Paulum Roma. 5. Ratio est, quia non est Accidens seu Accidentalit corruptio. Sed substantia, vt habent priores propositiones. Ergo cum homine initio conditum est peccatum originis.

Ergo

Peccatum originis non est corruptio hominis totius iuxta Psal. 14. Ratio est, Quia corruptio non est ipsa substantia, vt hic asseritur, Sed vitium substantiæ, vt Gangrena in arbore, morbus in pecore, delirium in cerebro, non est substantia, seu substantiæ corruptio.

Ergo

Peccatum originis NON est lex in membris nostris, iuxta Paulum Rom. 7. Ratio est, Quia hic tenetur sententia, peccatum originis esse ipsam substantiam, esse ipsa membra.

Ergo

Peccatum originis NON *παράκειται* nobis, vt Paulus dicit. Lutherus, *Es hanget vns an*. Ratio est, quia peccatum est ipsa substantia.

Ergo

Peccatum NON habitat IN NOBIS, vt Paulus docet. Ratio est, Quia est ipsa substantia, vt quidam dicunt, Quomodo igitur iuxta Paulum, Peccatum nos posset inhabitare?

Ergo

Peccatum originis NON est fermentum, quo natura nostra vitiata est, vt Lutherus in Genesin docet. Ratio est, Quia peccatum originis est substantia, ipsa anima, ipsum cor, vt hic pronunciatum est.

Ergo

Peccatum originis NON est venenum, quo nostra substantia deprauata est, vt Lutherus scribit in Genesin. Ratio est, Quia hic audimus, peccatum originis esse Animam, cor, substantiam hominis.

B 2.

Ergo

Ergo

Peccatum originis non est abominatio apud Deum, iuxta Psal. 5. Ratio est, Quia est substantia non Accidens, seu Accidentalibus corruptio, vt sonant propositiones monstrosa. Sed substantia hominis, est opus DEI. Quomodo igitur Deus illud ipsum, quod ipsemet condit, & quatenus condit, abominaretur? Sic scilicet illa portentosa pronuntiata, multa alia inconuenientia, vt fieri solet, gignunt & producant.

Alia contradictoria, quæ in tam crebra variatione illarum propositionum occurrunt, ac sese ipsas confodiunt atq; destruunt, in præsentia recensere nolumus, vt quod alicubi dicunt, Individuum mansisse, sed bonitatem spiritualem euauisse, ac successisse Maliciam. Nam si hæc sunt vera, certa, immota, vt sunt, tum sequitur irrefragabiliter, peccatum originis non esse substantiam, sed corruptionem & fermentum substantiæ, quod vniuersam hominis substantiam inuasit, peruasit, occupauit, & immundam fecit. Sequitur & hoc, in infinitum discernenda esse opus Dei & Diaboli. Sed hæc alibi fusius, Deo dante, explicanda sunt.

Iam verò omnes p̄ij, quæ hoc loco in medium afferuntur, in timore Domini, iuxta verbum Dei expendant, & noua atq; monstrosa dogmata abhorreant, vitent & execrentur. Postremò orent Deum, vt nos omnes in veritate sua benignè conseruet, & aberrantes in viam clementer reducat, Amen.

Deo sit laus & gloria.

3994

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT






J4 3994

ULB Halle
002 490 862

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DE

TRISNO.

CVNDIS IN DO.

A DE PEC-
A T O.

ONEFACTIO.

ANNIS VVI-
AND I.

1893/4. 2829



*clausium militia posuit
Sententia de peccatoori
vove in mediu prolata
hac mentis Flacii pra:
bile colloquium mutari
vero Flacii hister clar:
yvo wigandur fuis pra:
spiritus, magnam arro:
fundam eruditionem pra:
eundem in pernitiem
bans.*

per Donatum Ritzenhain,

1571.